


385

F 18



385
F18

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK



2374 5570

~~Handwritten scribble~~


385
F18

DE
DELICTIS ET POENIS
UNIVERSITATUM.

AUCTORE

CAROLO FRIED. FERD. SINTENIS,

DOCTORE JUR. UTR.



SERVESTAE,
APUD GUSTAV. ADOLPH. KUMMER.

1825.

Patri carissimo

Domino

**Johanni Carolo Henrico
Sintenis,**

Consuli primario civitatis Servestanae

pietas filii.

P r a e f a t i o .

Jam ab eo inde tempore, quo primum ad jurisprudentiae studium accedebam, ex universo hujus scientiae complexu semper illa pars prae ceteris et gravissima et studio acerrimo dignissima mihi visa est, quae appellatur Jus criminale. Si enim redimus ad easque tempora generis humani, cum primum ex agris et silvis homines in urbes coirent, ut moderata libertate hactenus indomita, vita jucundior et denique optabilis fieret, semper in primordiis civitatum invenimus ea instituta et praecepta prae ceteris esse sancita atque confirmata, quae delicta attingunt. Causa vero non remota jacet, cum securitas civium primum sit requisitum bene moderatae civitatis. Cum vero in hisce investigandis semper ad cujusvis populi indolem atque naturam reducamur, quid dulcius, quid gravius, quid uberius denique respectu tum experientiae vitae tum historiae rerum memorabilium generis humani inveniri potest? — Interim si contemplamur, quam sit Philosophia intime cum hac praecipue Juris parte conjuncta, sine qua omnino scientia nulla est — si consideramus,

quam sit gravissima haec materia e ratione finis civitatum, quae dignior esse potest ut a philosopho aut a Jurisperito omne in eadem studium collocetur? — Quae autem gravissimi ponderis materia una etiam est e difficillimis totius jurisprudentiae; requirit enim non tantum, ut ceterae fere omnes ejus scientiae partes, memoriam numerorum atque regularum et rerum divitias, sed etiam studium philosophiae intimum et quoad respectum finis et salutis civitatis, et quoad animum, naturam et cujusque singuli hominis indolem. Quum enim in ceteris scientiae nostrae partibus plurimum sit positivum atque mere in legibus conditum, de quarum vi ac veritate dubitari non potest, in haec permultarum regularum sub judice lis est. Quam ob rem in Jure criminali plurimum adhuc esse et reficiendum et augendum neminem negare haud inique contendam.

Cum vero nunc mihi copia oblata sit, ex aliqua Jurisprudentiae parte thema et eligendi et luculentius collustrando, de eodem quae sentiam, explanandi, Jus Criminale prae ceteris arrisit, e quo illud sumerem. Cujus cum non tantum una sed potius multae, ne dicam plurimae partes, sint controversae, de iisdemque multum in utramque partem a doctissimis celeberrimisque viris disputatum, semper ea quaestio notatu et

cogitatione dignissima mihi visa est, quae ut gravissima et frequenter obvia, ita quoque difficillima, — quaestio scilicet „*num universitas delinquere et puniri possit?*“ — Mirifice autem hoc thema ab eo jam inde momento, quo primis labris, ut ajunt, Jus criminale attingebam, me allicuit, et multa in idem, quae ubique occurrebant, digessi et collegi: quapropter non temere hanc materiam dissertationi huic supposui.

Multa autem hac super quaestione et a doctissimis praeteriti saeculi viris, et ab illustrissimis nostrae aetatis, scripta sunt; multi negarunt eandem, multi affirmarunt: in utraque parte viri ingentis ponderis, qui tanquam lumina coeli Jurisprudentiae effulgent. Sed haec ipsa inter praeceptores et scientiae choragos contentio, acrius quemlibet studium nostrum persequentem et afficere et allicere oportet ut distinctius eam contempletur et penitus rem pernoscatur.

Interim vero difficillimum est, de re tam litigiosa decernere aliquid, atque iudicium ferre: licet enim uni partium nos addicamus, tamen alteram refutare oportet.

Nobis autem semper eorum sententia visa est optima, et philosophiae et jurisprudentiae praeceptis plurimum congrua, qui affirmarunt *universitatem delinquere et puniri posse*. Attamen jam hic notandum, hoc tan-

tum generaliter dictum esse atque intelligendum: multae enim circumscriptiones adji-
cientur. Utut enim omnium, quorum hac-
tenus nobis affirmantium occurrerunt, sen-
tentiae sunt editae, minime nobis ipsis pla-
cere potuerunt, quippe quae omnes indi-
stincte affirmantes ad quaestionem nostram
responderunt, nulla qualitatis criminum ip-
sorum ratione habita.

Necesse vero erat, haec jam praemittere,
quia multa sequentur, quae nisi jam nostra
sententia expedita esset et in lucem prolata,
obscura viderentur.

Multum tamen adest, ut nos putemus
eos, qui de re illa quae in dubio sint consti-
tuta, omnino ita explanare possimus, ut
nihil deficiat ad rem penitus perspiciendam;
neque arrogantiae nobis, quae diximus, dari
volumus, sed pensatis utrinque et affirman-
tium illam quaestionem et negantium argu-
mentis, quae meliora videntur antepone-
mus, propriam vero sententiam, quam po-
terimus, optimis rationibus suffulciemus et
plane non abs veritate esse demonstrare
operam dabimus, et contenti erimus, si
quid adjuverimus ad meliorem opinionem
clariore luce collustrandam.

Praemissa quaedam de fontibus et literatura.

Ex fontibus nostris Juris Romani pauca nobis sese obtulerunt; plura e Jure Germanico. Si quid vero in Jure Romano controversi alicui obveniat, neminem hoc mirari velimus; quia ex diversis Pandectae scriptoribus sunt digestae, quos pariter ac nostros dissensisse nemo jam negat: et Justinianum quoque omnium dissensus tollere voluisse quidem, sed non potuisse constat: proinde vero ICI Romani quod in civili immensum, in Jure criminali parum profecerunt: Juri denique canonico minimum esse dandum equidem contendere non dubito.

Quod vero ad eos attinet, qui hac de materia scripserunt, magna, ut jam commemoravimus, inter eos contentio existit. Non mirum enim de materia, iam ab initio tantopere in dubium deducta, multos virorum doctorum, quae sentirent, scriptis explanasse et suffragia in publicum

edidisse. In magna vero conscriptorum de hac re copia, discrimen faciendum est inter illa, quae nostram rem ipsam attingunt, et ea, quae ad singulas materias cum illa intime conjunctas, seorsim spectatas, pertinent: quae utraque recensere nostrum est. Postremo vero loco dabimus recensionem compendiorum, in quibus V. D. de illa quaestione egerunt, et enumerationem atque comparisonem, cui se quisque parti adixit, cuique sententiae subscripserit.

I. De quaestione nostra, universim spectata, scripserunt:

1. Ant. Gretscher *de delictis et poenis universitatum*. Altorf. 1680.
2. Samuel Frid. Willeberg *de universitate delinquente*. Gedani 1720. in ejusd. exercitat. Sabbath. T. I. p. 214.
3. Nicol. Hieron. Gundling (sub nomine Phil. Christ. Stoll) *de universitate delinquente eiusque poenis*. Hallae 1730.
4. W. C. Nosmaer *doctrina de imputatione ad delicta univers. applicata*. Lugd. Bat. 1775.
5. Wilh. Fr. Jacobi *de jure puniendi univers.* Lugd. Bat. 1750.

6. Jul. Fr. Malblanc *Observatio ad delicta univers. in ejusd. opuscul. ad Jus Crim. spectant.* Erlang. 1793.

7. Klein, *in wiefern können moral. Personen beleidigen und beleidigt werden? — im Archiv d. Crim. R. B. III. St. 3. N. 2.*

II. De rebus singulis ad hanc materiam spectantibus scripserunt:

1. Adrian. Christoph. Beyer *de Collegiis opificum.* Jen. 1688.

2. Balt. Conr. Zahn *Ichnographia municipalis.* Col. 1698.

3. Fr. Thomasius *problema Jurid. I. an ex factis antecessorum illicitis teneatur collegium.* Lips. 1725.

4. Car. Fr. Becker *an, et quatenus collegium culpam ab uno alterove ex suis membris vel antecessoribus commissam praestare teneatur?* — Götting. 1741.

5. Richter *de obligationibus successorum in collegiis ex antecessorum factis.* Lips. 1751.

6. Rivinus *de culpa ab uno Collegarum commissa a toto collegio praestanda.* Lips. 1742.

7. Crell *de Senatorib. et quatenus ex eorum*

factis teneatur civitas. Viteb. 1736. (Diss. f. 4, n. 26.)

8. Adrian Beyer *de colleg. opificum* a §. 710. (Jen. 1688.)

9. Lauterbach *colleg. theorico practicum*, III. IV. 25.

10. Besold *in delib. ex Lib. D. 3. qu. 26. et tractatu de Jure univers. C. 7. et p. 3. Cons. 91. n. 110.*

11. Goed in *L. 17. D. num. 20. sq. de Verb. S.*

12. Martin Uranus *T. II. cons. 46.*

13. Cravett *cons. 595.*

14. Mynsius *cent. IV. Obs. 78.*

15. Milla *Pract. Crim. n. 42. sq.*

16. Marta *ad Dig. T. univers. C. 21. 22. 23. Bibliotheca juridica univers. a Schrötero, denuo ed. Moegling, Norimberg. 1756. Vol. II. Lit. V. p. 1265.*

17. Hieron. Magonius *dec. Luc. 72.*

18. Kirchovius *T. I. var. Ictor. cons. I., qu. 4.*

19. Lynkeri *Decis. 820.*

Multi praeterea sunt qui in compendiis Jur. Crim. et alias, nostram materiam tractarint, e. g.

1. Quistorp. in *Compend. Jur. Crim. §. 31.*

2. Meister *eod. §. 33.*

3. Schröter *cod.* §. 38. B. I. p. 77.
4. Tittmann *cod.* §§. 39. 1131.
5. Koch *cod.* §. 98.
6. Thibaut *Pandekt.* §. §. 221. sq. 1127. sq.
7. Leyser *Spec. Pand.* 533. (auct. G. W. Jemmrich) et *Sp.* 283. m. X.
8. Dorn *in pract. Commentar. Th. I.* §. 36.
9. Cremani *de I. Crim. L. 1. P. I. C. 6.* §. 59. q. 73. 74. (prodiit Ticini 1779.)
10. Hommel *Obs.* 601.
11. Wening - Ingenheim *Pand.* §. 70.
12. Dabelow *Priv. R.* §. 84.
13. Westphal *in Comp. J. Crim.* §. 117.
14. Feuerbach *cod.* §. 28.
15. Grolman *cod.* §. 53. *idem in Biblioth. d. peinl. R. Th. II. St. 1.* p. 431.
16. Klein *in Comp.* §. 137. et *in nota ad ed. nov. Comp. Quistorpiani* §. 31.
17. Pastoret *des Loix pénales. Th. II.* p. 123.
18. Nettelbladt *in Syst. elem. Jurispr. posit. L. II. S. II. T. III.* §. 577.
19. Martin *Lehrbuch des Criminalrechts. Heidelb.* 1825. §. 38.

Superest ut adjiciamus quam promissimus re-
censionem atque comparationem V. D., qui in
utramque partem disputarunt. Ab eorum parti-
bus autem, qui negarunt universitatem delin-
quere et inde puniri posse, sunt hi:

1. Thomasius l. l.
2. Nettelbladt l. l.

3. Klein l. l.
4. Malblanc l. l.
5. Haubold (in Diss. quae prodiit sub nomine Gaudlitzii, et inscribitur „de finibus inter Jus „singulor. et Universitat. regūdis“ §. 15.)
6. Feuerbach l. l.
7. Grolman l. l.
8. Martin l. l.

Magna magnis nominibus obstant; contraŕiae enim sententiae foveat:

1. omnes quorum nomina pag. 4. continentur.
2. e veteribus:

Carpzovius Gail Puffendorff	}	v. §. 21. infra.
-----------------------------------	---	------------------
3. Gundling l. l.
4. Meister l. l.
5. Quistorp l. l.
6. Dorn l. l.
7. Cremani l. l.
8. Hommel l. l.
9. Dabelow l. l.
10. Wening-Ingenheim l. l.
11. Schrēter l. l.
12. Tittmann l. l.
13. Weisse [quod mihi ex praelectionibus viri illustrissimi constat.]
14. Thibaut l. l.
15. Koch l. l.

16. Leyser l. l.

17. Erhardt in: Entwurf zu einem Strafgesetzbuch für — Sachsen, ed. Frederici, Gerse et Lips. 1816, Art. 516 - 18. 140. 39. 2087.

18. Becker l. l.

19. Bauer (Prof. Götting.) [quod mihi ex praeelectionib. ejusdem constat.]

Liceat adhuc explanare, quinam ordo in Dissertatione ipsa servatus sit, et qua ratione in materiis et disponendis et tractandis versati simus.

Primum necesse erat ut de natura atque indole ipsius universitatis, quatenus nostrae rei sufficeret, ageremus, quippe quia hisce non satis expeditis, nec ea ratio atque conditio satis percipi potest, in qua universitas et singula ejus membra, seorsim spectata, versantur respectu civitatis, nec ea, in qua versantur singuli partim ut universitatis membra, partim ut privati erga externos aut erga ipsam universitatem spectati.

Transibimus deinde ad quaestionem ipsam, cui respondendum est, quod quidem perficere studebimus, eo ordine, ut primo loco de singulis auctoribus agamus, qui nobis sunt contrarii, eorumque argumenta expediamus; deinde vero propriam sententiam patefaciamus ita, ut problematis solutionem e Philosophia, e physica et morali facultate universitatis eruamus, tum ex

Jure positivo, denique vero ex Praxi et usu fori deducamus, Apud singulas quasque materias auctores et fontes ex quibus hausimus demonstrandi, et contrarium tuentium argumenta refutanda erunt.

Postremo loco de poenis ipsis, quibus universitatem afficere liceat, breviter dicemus.

CAP. I.

*Doctrina generalis de personis
moralibus.*

Tit. I.

*De origine notione atque indole uni-
versitatis.*

Haubold *in dissert. supra laud.*

Westphal *de jure singulorum. Hal. 1787.*

Frank *de jure singulor. Lips. 1755.*

Hommel *Obs. 601. 187. n. 1. p. 317.*

Carpzov. *Decis. 205. n. 18 sq.*

Leyser *Spec. Pand. 283. med. 10.*

Thibaut *Pand. §§. 219-23.*

§. 1.

Postquam homines e tectis silvestribus atque ex agris, ubi hactenus abditi atque dispersi, passim vagati, victu fero vitam sibi propagaverant, ratione quadam unum in locum conducti sese congregaverant, urbibus vero conditis, fidem colere atque justitiam retinere didicerant, ut non modo labo-

res excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam putarent, primum quod in nova civitate respiciendum atque servandum videri potuit, profecto erat securitas publica, sine qua omnino illa subsistere non potuit. Hanc vero non solum intelligi velim eam, quae et civitatem et civium singulorum salutem custodiret in periculis aut vitae aut bonis suis imminentibus, sed omnino quamvis rationem atque consilium, quod prospiceret administrandae justitiae ceterisque negotiis ad vitam et securam et jucundam reddendam necessariis. Quod licet officium cujusvis singuli esset civis, quippe quo particeps fieret commodorum inde sibi praeparatorum, saepe tamen accidere potuit, ut singulus non ea ratione atque modo perficere id posset, ut finis semper impleteretur, quia etsi animus atque voluntas propina adesset, facultas tamen privata nimis esset tenera, quam quae tali muneri satisfacere potuisset. Itaque invenimus in quavis bene instituta civitate, ut id quod singuli suscipere et perficere non possent, pluribus et sapientia et experientia munitis atque praeditis viris, publica auctoritate mandatum sit.

§. 3.

Primae vero hujusmodi consociationes videntur fuisse magistratum, i. e. personarum,

quae salutem et securitati publicae immediate prospicerent, quae jus dicerent, ceterisque negotiis civitatis administrandis praesent. Deinde cum homines in cultura latius progredierentur, auctisque inde rebus ad vitam cultiorem humanioremque necessariis, novus fons collegiorum ortus est, quia et talibus rebus communi animo et conjunctis viribus melius, quam singulo cuique permissum erat, prospici potuit. Hinc mihi origo corporacionum in universo profecta videtur. Apud Romanos vero earum societatum — excipio scilicet collegia magistratuum quae juribus personae moralis erant praedita — non multae inveniuntur, quod ex ipsis verbis l. 1. pr. §. 1. D. *quod cujuscunque univ. nom.* elucet: „paucis admodum concessa sunt hujusmodi corpora, ut ecce vectigalium publicorum permissum est corpus habere: vel aurifodinarum vel argentifodinarum et salinarum. Item collegia Romae certa sunt, quorum corpus Sctis. atque constitutionibus principibus confirmatum est, veluti pistorum, et quorundam aliorum.“

§. 3.

Frequentius occurrunt corporaciones in jure germanico et in propria patria, ubi etiam origo multiplex, in ea praecipue aetate, quae appellatur medium aevum. Saepissime enim fiebat

ut ad tuendum dominium, in bellicosis istius aetatis temporibus, plures sese congregarent ad finem huncce communem, qui deinde aut sponte sua indolem collegiorum assumerunt, aut etiam ab ipsa civitate acceperunt, postquam omnes de commo-
modo inde civitati parato, persuasos sese habuerunt. Quo tamen themate amplius ulteriusque exponendo a fine proposito nimis abduceremur ^{a)}. Hinc notio universitatum translata est in urbes, pagos, civitates. Simile quid quidem jam apud Romanos invenimus, attamen non eo ambitu, quo apud nos. Cum enim Respublica Germanorum jam ab initio ex multis minoribus civitatibus esset composita, quibus iterum urbes et villae continebantur, quarum quaelibet vices membri totius civitatis sustinebat, ordo vero atque ratio regiminis plerumque in Democratia esset condita, factum est, ut sensim cuilibet consociationi civium facultas personae moralis tribueretur, quae in concionibus populi per legatos repraesentabatur. Hoc etiam rerum naturae convenit: civitas enim ipsa habetur pro corpore: corpus ex singulis membris compositum esse constat, quorum quodvis vices suas sustinet, et vires ad communem finem persequendum offert: inde in civitate necessarium

a) v. Eichhorn *teutsche Staats- und Rechtsgeschichte.*
B. II, §§. 234. b, 241-45, 259.

erat communioni civium facultatem personae moralis tribuere, ut voluntas populi eo facilius cognosci posset; cuius interim communioni ab initio finis suberat communis, aut quoad publicam salutem aut quoad proprium commodum, quae ut servantur augeanturque omnium interest civium, vel sc. ad securitatem eorum, vel onera ferenda communia, vel omnino ad melius regimen atque moderamen civitatis: et huic fini facultas personalis, publica auctoritate munita, optime satisfacere potest.

§. 4.

Ut ut singuli vero cujusvis civis et jura et obligationes sensim sensimque augebantur, postremo vero legibus sancitis, firmabantur regulabanturque, ita etiam omnes intelligebant, necessariam esse constitutionem certam corporum et collegiorum. Cum vera universitatibus semper communis subesset finis, quo tanquam una persona publica auctoritate munita fungebantur, facile est intelligere, ut a legibus etiam quoad conditionem suam, et erga civitatem ipsam, et erga externos, pro una persona declararentur, quae postea appellata est moralis seu ficta. Quam ad fictionem etiam id forsitan non parum attulit, quod munera quaedam publica singuli susceperant, iidemque tanquam personae publicae: sin igitur plures ad

similem finem forte latiore, administrando munere assequendum vocarentur, habebantur pariter pro una persona, quia voluntas eorum conjuncta, pro una voluntate, eademque collegii universim spectati existimabatur.

§. 5.

Nunc demum licet ut definiamus universitatem: est autem eadem conjunctus ad certum finem numerus personarum, publica auctoritate munitus, qui partes singuli subjecti juris sustinet.

Primum vero requisitum est publica auctoritas ^{b)}, qua deficiente indoles atque natura, universitatis tollitur, cum una quidem notarum personae moralis deficiat. Nulla igitur universitas privatim existere potest; abest enim finis publicus communis, quem neque sumere sibi potest universitas absque consensu civitatis, aut, qui partes ejusdem sustinet, principis, neque assumptum recte implere, ob ipsum defectum publicae auctoritatis et, quod hinc sequitur, ob deficientem facultatem personalem. Initio autem certè tria membra universitatis adesse debent ^{c)}; deinde uni-

b) cf. Thibaut System. Pand. §. 219. librosque ibi laudat. Gaudlitz (Hbold). in dissert. supra laud. — L. 1. D. *qd. cujus c. univ. nom.*

c) L. 58. D. de *V.S.* Gundling l. l. §. 10.

cum ad continuandam eandem sufficit ^{d)}). Commemorandum hoc loco adhuc, universitatem esse immortalem, ut vulgo ajunt: hoc jam sequitur ex fine qui ipsi subest, plerumque perpetuo: novis enim insuper accedentibus membris non mutatur universitas, neque decessu veterum, sive conditionem, sive finem, sive jura obligationesve ejusdem spectes ^{e)}).

Tit. II,

De jure interno et externo universitatis ipsius et singulorum ejusdem membrorum.

§. 6.

De singularibus personarum moralium divisionibus ^{f)}), nihil hoc loco dicendum visum est;

d) *D. 7. §. ult. D. qd. cujusc. univ. nom.*

e) Hoc praecipue patet ex *l. 76. D. de judiciis*, ubi verba haecce, postquam de immortalitate dictum est: „propterea quod ut philosophi dicerent ex quibus particulis minimis consisteremus, haec quotidie e corpore nostro decederent, aliaeque extrinsecus in locum earum succederent. Quapropter cujus rei species consisteret, rem quoque eandem esse estimari.“ — Affertur etiam in Pandectarum lege aliqua exemplum de navi desumptum, cujus cum singulae partes novis reficiantur, interim semper remanet eadem, *l. 7. §. 2. D. qd. cuj. un. n.*

f) Thibaut l. l. Gundling l. l. §. 9.

quam quod rei nostrae satius perspicendae prodest. Sunt vero corporationes aut tales, quibus a principe ipso negotia administrandae civitatis commissa sunt, aut quae in finem privatum ab initio, deinde in publicum permutatum, publica auctoritate congregati sunt, aut ad priorem tendentes, secundum una implent.

§. 7.

Omnis vero universitas omnia jura et obligationes privatorum subire potest, exceptis profecto iis quae tantum a personis singulis suscipi possunt, ut sponsalia, testamenti factio activa etc. salva tamen eorum qualitate personali: fieri enim potest ut etiam privato alicui deficiat unius plurimve negotiorum ejus generis facultas, nullum vero inde ipsi nascatur detrimentum quoad facultatem subjecti juris. — Singula vero membra universitatis non habentur pro privatis e respectu rerum et negotiorum ad universitatem spectantium, sed idealis adest persona, quam singula membra repraesentant *g*). Hinc dominium universitatis non singulis membris pro rata competit, sed universitati qua tali *h*). Conditum est legi-

g) L. 2. D. qd. cuj. univ. n. L. 7. §. 1. cod. „siquid universitati debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas, singuli debent.

h) L. 1. pr. §. 1. cod.

bus, ut habeat universitas arcam ¹⁾ communem, cujus administratores pariter ac ceteris negotiis praepositi, ab universitate eligi et constitui possunt.

Quia vero ut cujuslibet singuli, ita etiam universitatis necessarium erat voluntatem cognosci, et huic leges praecaverunt constitueruntque, ut ad concionem omnia membra convocarentur, e tribus vero duae certe partes adesse deberent, et ex hisce in quod major numerus vergeret, pro universitatis voluntate habendum sit ²⁾.

§. 8.

Quod deinde attinet ad Jus universitatis ipsius erga membra sua metipsa, obligata sunt haecce ad omnia onera pro rata praestanda ³⁾. Potest deinde universitas actores, syndicos, et administratores ⁴⁾, ut jam supra commemoravimus, ex suis eligere membris, ab iisdemque eam postulare diligentiam, quam tutores debent.

1) L. 1. eod.

2) L. 19. D. ad municip. L. 36. D. de re jud. — Hoc valet etiam in supremis collegiis. cf. Seckendorfs teutscher Fürstenstaat. P. 2. C. 6. h. 5. Constitut. Judicii aulicij imperial. Tit. V. Leyseri Spec. 533. m. 10.

3) L. 1. §. 1. qd. cujus. univ. nom.

4) L. 9. D. de mun. et honr.

§. 9.

E respectu externorum, universitas vices subjecti juris sustinet, ut supra jam demonstravimus *). Attamen universitas singulari inspectioni et tutelae civitatis subdita est, et inde pluribus gaudet beneficiis et privilegiis omnibus pupillorum, de quibus tamen si latius agere velimus, nimis abduceremur a proposito.

§. 10.

De singulis membris eorumque juribus haec praecipue mihi visa sunt.

Sunt vero singula membra tantum ratione atque respectu negotiorum universitatis talia, i. e., conditio eorum erga externos talis est, ut in omnibus negotiis aut rebus, universitatem spectantibus pro membris habeantur, et ad statum eorum, qua membrorum, sit respiciendum, in ceteris vero negotiis et erga se invicem et erga externos, pro nudis existimentur privatis. Inde vero sequitur, quoad ea negotia et facta, quae tanquam membra universitatis ex ejus voluntate susceperunt, haec membra qua privatos adiri non

*) Pertinent huc adhuc *L. 25. D. ad municip.* „magistratus „municipales cum unum magistratum administrent, etiam „unius hominis vicem sustinent.“ *L. 6. §. 1. D. de divis. rer. et qualit. L. 10. §. 4. D. de in jus vocat.*



posse, sed universitatem ipsam esse petendam ^o), neque propterea, quod ipsi, qui universitati in- sunt, qua privati, aliquid gesserunt, absque con- silio et mandato universitatis, licet ratione et forsitan in utilitatem ejusdem, universam perso- nam moralem esse adeundam ^p).

Hactenus igitur doctrina e rei natura et e jure civili deducta, quam breviter praecognoscendam utile putavimus. Iam vero ad quaestionem prin- cipalem transeamus.

o) cf. supra not. g. et *L. 160. §. 1. D. de R. I.* „refertur ad „universos, quod publice fit per majorem partem.“

p) *L. 2. D. qd. cuj. univ. nom. l. 7. §. 1. eod. Hommel. Obs. 601. Leyseri Spec. 559. m. 7. ubi laudatur respon- sum Ictor. Lipsiens. ex mense Marti. 1718.*

CAP. II.

*Num universitas delinquere
potest?*

Tit. I.

Iureconsultorum, qui negarunt universitatem delinquere et inde puniri posse, sententiae et argumenta.

§. 11.

Haud abs re fore putavi, si primo loco declarare tentarem, unde nam magna illa inter viros doctos contentio atque dissensus emanaverit.

Veterum autem fere omnes consentientes eo convenerunt, universitatem delinquere et puniri posse: claris enim hoc verbis ex scriptis eorum laudatis patet. Nimis vero ab iis atque indistincte hoc extensum, quippe qui universitati omnia delicta tribuere haud dubitarent, quod recentiores, acrius rem secum reputantes, non tulerunt, sed contrarium statuere conati sunt,

universitatem sc. nunquam delinquere, sed semper in singulos esse animadvertendum. Variarum tamen jam inter veteres pariter ac recentiores extiterunt contentiones. Momenta plurimum in dubium vocata erant:

1. an, si delictum ab universitate commissum sit censendum, omnia participasse membra oporteat? *q*)

2. an in duces ac principes delicti acrius sit saeviendum? *r*)

3. num successorés teneantur ex delicto antecessorum? *s*)

4. num qui non erant participes delicti, eandem quam qui interfuerunt, poenam luant? *t*)

§. 12.

Sin verò ab eo inde proficiscamur, eorum ab initio locum tenuisse opinionem, qui affirmarint, universitatem delinquere posse, rationi optime convenire videtur, ut dubia illis objecta, motasque disceptationes contemplemur, priusquam nostram sententiam et patefaciamus et probare operam demus.

q, r, s, t) omnia haec infra satius illustrabuntur et loca huc pertinentia explicabuntur: hoc enim loco tantum necessarium erat, ut de iis diceretur, quantum ad historiam contentiois sufficeret.

Chorum vero duxisse videtur Thomasius in ea quam supra nominavimus dissertatione: at tamen hic magnas sibi ipsi opposuit dubitandi rationes, quas refutare non potuit. Hunc plures ut demonstratum est, secuti sunt. Sufficere vero arbitror, si ea argumenta, quae a novissimis, (Malblanc, Klein, Grolman et Feuerbach) protracta sunt, hoc loco adducam, praesertim cum in horum scriptis omnia, quae jam veteres moverunt, aggregata congestaque sunt.

§. 13.

Malblanc ^{u)} vero omnino negat universitatem delinquere posse: dubia contra hoc praeceptum mota tribuit formandae ideae talium delictorum et diversis poenae et satisfactionis privatae notionibus. Sententiam suam deducere tentat ^{v)}:

I. ex natura delictorum, quod sc. non universitati qua tali, sed singulis poenae infligantur ^{w)}, et ad delictum aut culpa aut dolus pertineat, quorum neque hic, neque illa in universitatem cadere possit ^{x)}, quippe ad quam posteri

^{u)} l. l.

^{v)} l. l. §. 2.

^{w)} quatenus haec opinio vera sit, infra apparebit: debile tamen est argumentum, cum ex effectu, de quo an verus justusque sit dubitatur, ad causam moventem fiat conclusio.

^{x)} cf. infra dissert. nostrae §. 17.

etiam pertineant *γ*): denique quod ad delinquentum et poenam ferendam subjectum fictum non sit habile, sed subjectum physicum requiratur et factum in sensus externos cadens *z*).

II. e natura poenarum *a*), quippe quae sint mala, quae tantum a subjecto physico, haud vero ideali lui et tanquam talia sentiri possint, et quum poenarum species aliquae, ut capitales, corporales et libertatem concernentes, in universitatem non cadant *b*).

Pecuniarias etiam poenas neququam censet auctor ex aerario desumendas, sed ex bonis potius singulorum. Poenas vero, quae amissionem praescribunt privilegiorum, ad certum tantum tempus esse, minime vero in perpetuum decernendas.

III. e legibus positivis: enumerantur autem: 1. L. 22. C. de poenis et L. 44. de injur. *e*).

γ) nonne vero universitas semper manet eadem? v. i. L. L.

z) cf. infra §§. 19. 20. et Cap. III.

a) l. l. §. 3.

b) de idoneis poenarum generibus v. i. C. III.

e) Has vero leges ne verbo quidem attingunt neque materiam nostram in generali, neque Malblancii opinionem, quod quisque videbit, qui operae pretium censet easdem evolvendi.

2. locus e caesareo capitulatione ^{d)} 3. Cap. nov. art. XX. §. 8. ^{e)}.

IV. E praxi et usu fori dubium moventia refutare studet auctor postremo loco ^{f)}.

§. 14.

Summa eorum quae Klein pronuntiavit, est haec.

Primum vero notandum est plerumque eundem tantum mediate de quaestione nostra agere, quia major pars dissertationis suae in eo momento pertractando versatur „num universitas qua talis laedi queat?“ Attamen plura etiam gravioris ponderis nostram rem respicientia enumerantur. Summum ejus principium est vero quod obtineat, ratione illa, quae inter personas ad consociationem congregantes intercedit, non novam formari substantiam, sed tantum conditionem certam personarum illarum erga et inter se metipsas regulari: hinc etiam idealem quam vocant personam

d) l. l. §. 5. Attamen hunc locum e diametro oppositum esse auctoris opinioni, intelliget qui legerit. cf. i. §. 35.

e) hunc locum huc retrahi non posse, infra docebimus.

f) exempla vero haecce nullatenus sunt refutata; posterius e contra, de quo l. §. 34. dicendum erit, Malblancio opponit ruperem insuperabilem. Attamen hic non locus est ut exiguo cuilibet quod nobis obstat, occurramus, quippe qui putamus, propria idoneis satis firmata argumentis sententia, contrariam sua sponte collabi.

non esse imputationi subjectam, inde nec poenae capacem; itaque singulis tanquam auctoribus poenas, esse infligendas: eas vero paenarum species, uti privatio bonorum aliorumque jurium, eo tantum casu admittendas censet, si universitas ad proprium sit commodum instituta *g*), neutiquam vero si ad civitatis salutem, quia haec se metipsam puniret *h*). Ceterum etiam hic leges positivas secum consentire censet sed quatenam sint, sapienter tacet *i*).

g) nonne ingentem sentit quilibet inconsequentiam?

h) v. l. §. 20.

i) Idoneus hic locus esse videtur quo patefaciamus magnam contradictionem, quam Klein sibi opponit. Negat enim ut demonstravimus, novam formari personam ex universitate, atque jus inde nullum competere universitati qua tali erga membra sua. Invenimus tamen in libro suo citato p. 19. haec verba: „*Man hat freilich mehrere Beispiele, dafs Staedte, Regimenter u. s. w. solcher Vorrechte zur Strafe beraubt worden sind, allein es kommt hier in Betracht, dafs eben diese Vorzüge und Ehrenzeichen zuweilen von der Beschaffenheit sind, dafs die Entziehung derselben den einzelnen keinen Nachtheil bringt, aber die ganze Gesellschaft zu einem bessern Betragen antreibt.*“ His vero verbis universum theoriae suae aedificium diruit.

Deinde idem in nota ad ed. Quistorp. compend. ad §. 31. p. 46. ita: „*Nur bei Privatgesellschaften, welche als eine moralische Person Eigenthum besitzen, ist es consequent, ihnen auch die damit verbundenen Lasten und Verbindlichkeiten aufzulegen, weil sonst andere Personen gegen diese erdachte Person zu kurz kommen würden und die Rechte ohne*

§. 15.

Grolman deinde alia quam duo anteriores exhibet argumenta; primum enim de delictis universitatum in legibus imperii nil esse proditum, monet *k*). Hanc ob rem obtinet „delicta universitatum e Germania exulere, eademque iis tantum esse imputanda, qui voluntatem corporis ad tale delictum direxerint. Exempla vero quae praxis exhibeat et historia Germaniae suppeditet, nihil aliud esse quam facta principum non legibus sed soli politicae convenientia, eoque tendentia, ut major rerum ambitus nimiaque processus extensio vitaretur *l*).

die damit verbundenen Pflichten nicht gedacht werden können:“ et citat Hall. Rspr. B. IV. N. L.

Quae vero lex est aut naturalis aut philosophiae aut Juris positivi, cui unquam hoc discrimen placuerit? — Universitas nulla est absque publica confirmatione; quam si civitas con-sociationi, licet ab initio privatae, tribuit, demonstrat simul ip-sius commodum interesse, ergo fit universitas publica per se, quae omnino privatim existere nequit, multo autem minus consistere.

k) Sed adesse leges, eademque summi ponderis infra appa-rebit §. 31.

l) Salva gloria viri celeberrimi, non possum quin confitear, de hac materia eum nec juste nec consequenter cogitasse. Quis enim talibus argumentis aliquid daret? — Primum enim id argumentum, cui plurimum tribuere videtur et in quo thema suum nititur, nullum est: dicit sc. „nullam adesse legem

Feuerbach vero obtinet „universitatem non alias esse talem, quam fine suo determinatam; quatenus igitur a fine recedentia agant membra, quatenus delicta committant, ea id non agere ut universitatis membra, sed perinde esse, ac si a singulis commissum sit delictum.

Hae autem sunt clarissimorum adversariorum nostrorum sententiae.

Germaniae, quae de delictis universitatum agat, de iisdemque aliquid constituat: hinc sequi universitatem in Germania delinquere non posse.“ Nonne his verbis concedere videtur auctor, alibi, ubi lex adsit, etiam delinquere posse universitatem? Quid vero si demonstremus, plures Germaniae leges adesse? nonne consentiet auctor theoriam suam esse sublatam? — Deinde ego certe non intelligo, cur omnia quae inveniuntur exempla poenarum universitati injunctarum, habenda sint pro factis politiae? Talis enim politia si utilis esset et probata, quid principes eandem legibus sancire impediret? — E contrario si ab omni justitia abhorret, quomodo principibus placere potuit? — Quod denique ad ultimum pertinet argumentum; universitatem qua talem puniri interdum, ut major processus prolixitas impediatur, tam ab omni justitia et jure abhorret, ut refutatione plane non egeat.

Tit. II.

*Demonstratur universitatem delinquere
et puniri posse.*

Art. I.

E ratione philosophiæ et indole uni-
versitatis naturali.

§. 16.

Transimus nunc ad eam partem, quæ et gravissima est et difficillima; demonstrandum enim est universitatem qua talem delinquere posse et recte inde poena plecti, id quod primum e philosophia et naturali indole ac conditione deducere tentabimus. Priusquam vero ad hanc demonstrationem transeamus ipsam, oportet nos summum nostrum principium, dubia illa quaestione satis perpensa, patefacere, quod et legibus et rerum naturæ plurimum convenire visum est:

„„Universitas delinquere potest: attamen tan-
 „„tum ea crimina ipsi qua tali imputari possunt,
 „„quæ ad negotia pertinent cum fine suo per-
 „„petuo coherencia. Omnia cetera delicta, quæ
 „„cum fine suo, neque coherent, neque ad eum
 „„referri possunt, nullatenus universitas com-
 „„mittit, sed recte singulis imputantur, et tunc

„, recte iudicatur res secundum analogiam con-
 „, spirationis m).““

Patet igitur nos recedere a sententia eorum, qui indistincte universitatem omnia delicta committere posse arbitrantur, et contradicere iis, qui contra plane eam delinquere posse negent. Una vero me fateri oportet, me praecipue per illustris-
 simi Feuerbachii praeceptum permotum — de quo mox latius agam — eam sententiam, quam modo exhibui, assumisisse, quia sc. sine deficiente universitatis ratio deficit.

§. 17.

Cum vero delictum quodlibet animo et corpore consistat, corpus autem ex facto ipso pate-
 fiat, animus in voluntatis determinatione certa sit positus, universitas etiam qua talis delinquere pot-
 est, si modo ipsi voluntas concedatur: hanc vero
 leges ipsae eidem tribuerunt qua personae, i. e. subjecto Juris. Quis vero est, qui hanc ad facta laudabilia tantum restringat, in vituperabilibus neget? — Voluntatem necesse est leges personis

m) Fateri possum absque arrogantia, principium hoc esse novum. E longinquo eo demonstrasse videtur — sed tantum videtur! — Adrian Beyer l. supra l. „debita quae in universitatem ac potissimum in opificum tribus cadunt, et facile et saepe committi solent, sunt statuti perniciosi conceptio. cum exteris collegiis collucto, inobedientia.“

concedere, et quidem recte et secundum leges agendi, et in partem deteriorem ruendi — quod enim si non fieret cur leges poenales constituerentur? nonne potius liberam voluntatem leges in omnibus poscunt delictis? — Quae igitur cum in omni negotio, tam vituperabili quam laudabili, personis qua juris subjectis sit concessa, cur universitatibus, quibus personae, i. e. subjecti juris facultatem leges addiderunt, si voluntas generaliter tribuatur, neganda sit in delictis, ego certe non video: immo leges omnium paene nationum praescribunt quomodo eadem in universitate cognoscatur; neque lex unica mihi nota est, qua voluntas in facto vituperabili universitati sit denegata, sed plures id recte affirmantes.

Est idoneus hic locus visus, quo Feürbachii sententiae occurramus, quippe qui contendit, ut supra demonstratum est, universitatis actiones moderandas esse secundum finem ejusdem perpetuum: quam si excederet temere, rationem universitatis tolli et singulos poenas luere.

Nemo autem profecto erit, qui neget hunc finem eatenus esse laudabilem, quatenus cphaeret cum salute civitatis, vel mediate vel immediate. Unde vero ex hoc fine laudabili, si modo voluntas, ut demonstravimus generatim sit concessa, sequatur, universitatis voluntatem etiam ad lau-

dabilia facta, esse restringendam, ego intelligere non possum. Nonne etiam quilibet singulus civis a delictis arctus est legibus? — Nonne et huic semper a legibus laudabilis est finis propositus? — Einem excedere est idem ac negotia suscipere non ad finem pertinentia: quam diu autem intra finem remanet universitas, rationem etiam ejus remanere, inde eandem qua talem agere, certum est. Quid igitur, si in ipso fine suo acutissime persequendo universitas delictum committet? Nonne remanet intra limites finis? nonne, his non obstantibus, dicendum est notionem universitatis *non* tolli? — Ceterum vero non est necessarium, ut ad finem ipsum recurramus: quid, si excessus aliquis fiat in exercendo jure aliquo, cum fine universitatis cohaerente, aut ex eodem emanente ⁿ⁾?

n) Exemplum elegans nuper, nescio quo, legi: Urbi sc. alicui competeat jus monetae: falsas mox et deterioratas monetas edidit: quam ob rem jus monetae civitati ademptum est et poena insuper inficta: finis igitur non erat superatus, sed nihil nisi excessus in jure exercendo, quod ex illo proficiscatur. Quis vero universitatem non sentiet qua talem commisisse delictum? — Aliud exemplum exhibet C. C. C. Art. XX. „Wo auch eynthe oberkeyt oder richter in solcham überfüren (sc. torquram insonti adhibentes) sollen die, dem so, also wider recht, on die bewisen anneygung gemartert wer, seiner schmach, schmerzen kosten und schaden, der Gebüre Ergetzung zu thun schuldig sein.“ Idonea praeterea exempla v. sp. Tittmann, *l. l.* §. 234. Not. v.

Quis dubitaret talem excessum imputandum esse universitati qua tali? o)

Cum vero ad universitatis voluntatis et declarationem et cognitionem legibus ipsis statutum sit, duas e tribus partibus membrorum adesse debere, quarum majoris partis consensus pro totius universitatis voluntate habendus sit, etiam hoc in delictis committendis sufficere clarum est P). Quamobrem praeceptum veterum aliquorundam Ictorum abjiciendum, qui licet in genere voluntatem

o) Evolvamus liceat hoc loco contradictionem aliquam e compendio Feuerbachii. Etenim in materia de aggratiatione, inter alia quae exhibet exempla, in quibus poenam ordinariam in aliam mutandam esse docet, ne in crudelitatem evaderet, est etiam hoc §. 63. p. 66. Not. c.: „wenn eine ganze Stadt — sich des Hochverraths schuldig gemacht hat.“ Deinde admittit etiam (§. 138.) amissionem privilegiorum universitatis loco poenae: haec vero universitatem qua talem plectit. Porro in §. 281. concedit F. injurias etiam in universitates et collegia committi posse. Recte concluditur igitur si laedi queat universitas qua talis, eam etiam laedere qua talem posse. V. praeterea l. l. §. 426. (sub f. —

p) cf. l. §. 27. Notam ad Art. 86. Spec. Saxon. et Erhardt l. l. 506.: „wenn eine Gemeinheit oder ein Collegium, einstimmig, durch Mehrzahl oder Repraesentanten in gesellschaftlicher oder collegialischer Form, einen den Strafgesetzen zuwiderlaufenden Entschluss fasst, und mit vereinter Kraft aller, oder durch einzelne Mitglieder, oder anders ausführt, so ist das Verbrechen der Gemeinheit oder dem Collegium im Ganzen zuzurechnen.“

universitatis legali modo declarandam agnoseant, tamen ad eandem in caussis criminalibus prodendam omnium membrorum consensum poscunt. Nescio quid Ictos ad hanc sententiam permoverit, quae cum ratione universitatis nullo modo conjuncta est. Leges certe positivae ne verbum quidem de hac re commemorant, et philosophia juris contrarium suadet.

§. 18.

Conditionem personae vero moralis separandam esse ab ea membrorum singulorum qua privatorem, negarunt quidem nonnulli 9), sed probare non potuerunt: alia enim profecto ratio est in qua versantur erga externos congregati ad certum finem, quibus, ut universitati, a civitate tributa est personalis facultas, alia est membrorum separatim spectatorum 7). Hinc negari non potest, novam etiam, a singulis diversam, existere substantiam, quae consistit tum in conjunctis membrorum viribus ad finem sibi mandatum persequendum, tum in qualitate attributorum subjecti juris; tum in declaratione praecipue civitatis ipsius, hanc consociationem esse *personam* — ergo novam et separatam substantiam; — tum deni-

9) v. s. S. 14.

7) hoc loco repeti possunt quae C. I. T. II. demonstravimus.

que in fine ipso, quem universitati subesse semper necesse est, et qui nequaquam ad singulos quosque sed potius ad universitatem qua talem referendus est; quippe cui soli in universo mandatus sit, neque singulis. Hanc in lege naturali et philosophia conditam rationem jus positivum secutum esse, jam exinde apparet, quod nomine utitur *personae fictae*. Plurima etiam — secundum nostram sc. theoriam — delicta quae in universitatem cadunt, ejusmodi sunt, ut tantum ab universitate qua tali committi queant, et ad quae committenda singulis facultas et moralis et physica deficit. Immo actiones universitatis ad neminem quam ad solam universitatem pertinent, nequaquam ad singulos ^{s)}).

§. 19.

Sin vero clara luce, ut videtur, hactenus materia nostra conspersa sit, jamque satis demonstratum, facultatem delinquendi tam moralem quam physicam universitati non deficere, profecto ex rerum natura sequitur, etiam poenam in eandem cadere debere. Regrediamur vero pri-

s) Non poenitebit hoc loco Hommelium audivisse de hac re in Obs. 601. §. 5. ita disputantem: „*ob delictum universitatis non singuli possunt plecti. Quomodo enim nec anima sola, nec corpus solum est homo, sed ex animo et corpore homines constant, nec unum gramen acervus est sed ex singulis graminibus acervus nascatur.*“

mum ad praeceptum quod firmavimus „conditionem et notionem universitatis ab ea singulorum membrorum distincte esse separandam.“ Corporationem igitur ipsam, si quid male gesserit, quod fieri posse demonstravimus, secundum regulam: „delicta suos tenent auctores,“ puniendam esse qua talem, rationi et rerum naturae convenit. „„*Qui t) aliter sentit is confundit fictam personam illam universitatis cum personis universitatis et more sophistico prolabitur in aliud genus a genere alio, qui turpis in concludendo error et vitanda a sapiente fallacia. — — Non luant singula membra quod universitas commisit, ne in subsidium quidem, multo minus in solidum.*““

Voluntas enim perniciosam et facto expressam est, quae punitur in delinquente et quidem in animo ejusdem. Quia vero animus secundum indolem suam atque naturam aliter puniri nequit, quam mediate per corpus, necessarium est ut in eodem per factum externum poena exerceatur. Corpus vero universitatis abstracta idea est personae ejusdem, in hac igitur sola poena est exercenda, si universitas quid commiserit.

t) Sunt verba Hommellii, cf. l. s. l. §. 11., quae cum postquam propriam jam statueram sententiam, legerem, intimo ex animo mea cum illis tam consentire, gavisus sum.

§. 26.

Contemplemur nunc quaestionem propositam, „utrum universitas ob delictum sit punienda an potius singula membra,“ e ratione juris publici et civitatis. Civitas vero, si consociationem aliquam ad certum finem congregavit, postulat ut eadem *qualis* officio suo satisfaciat et obstringit eam legibus: quas si negligit, quis poenam infligendam dubitabit? — Neque vero civitas, ut aliquibus placuit, semetipsam punit, simulac universitatem, quam ipsa ad certum finem congregavit, poena persequitur: primum enim conjunctio inter civitatem et universitatem communiter talis esse non solet, ut poena huic inflictā redundet in illam. Quod vero ad damnum inde imminens ex poena forsitan profecturum spectat, nonne etiam poena cuilibet singulo civi injuncta, si accuratius rem perscrutemur, eatenus aliquid damni civitati injicit, quatenus civis ipsi aut eripitur aut certe ad tempus impeditur vires suas saluti offerre civitatis? — Denique vero si re vera aliquid detrimenti capiat respublica ex poena universitati alicui injuncta, — quod bonus tamen gubernator reipublicae mox reficiendum curabit — melius profecto idemque salubrius erit, minore damno perpesso, majus, quod immineret, avertere. Injustum porro foret, si civitas id, quod universo

corpori mandavit qua tali, a singulis posceret: hi enim non qua singuli obligantur civitati, sed tantum qua corpus, ergo ad hoc solum in omnibus ejusdem negotiis recurrendum; ab hoc qua tali officia ad finem suum spectantia poscuntur praestanda, nequaquam vero a singulis, qui nullo modo qua tales ad munera et officia universitatis civitati obligati esse possunt.

§. 21.

Audiamus nunc vero magnorum aliquorundam virorum sententias: quorum primum locum tenere videtur Hommel, qui ita sentit ^{u)}).

„Nec tamen jure naturali puniri civitas aliter potest, quam ut civitati adimantur quae civitatis sunt, nempe communia bona, aut etiam puniatur privatione honoris et libertatis, ut verbi gratia municipium fiat, quae libera fuit civitas, ut muros perdat, nundinas, arma, naves, agros publicos aut autonomiam. Negare quidem non possum etiam sic singulos et innocentes fortasse homines, saltem per indirectum, puniri, sed damnum quod dirutis muris aut turribus aliisve honoribus civitatis amissis singuli sentiunt, iniquum non erit, quia ex propriis bonis cives tunc nihil amittunt, sed ea tantum quae ad eos non

u) l. s. l.

pertinebant, nisi per universitatem, ea inquam quae in universitatis, non in singulorum dominio erant. Sublata Jesuitica societate dolebam initio quidem, singulis patribus alimenta a subversoribus ordinis non civilia sed tantum naturalia relicta fuisse, sed re curatius perpensa, si totus ordo peccavit, quod pro infallibilitate sua Clemens XIV statuit, secundum regulam quam modo tradidi, patres singuli merito caruerunt honore, redditibus et proventibus, quae non haberunt nisi ex ordine. Itaque quum nemo eorum sua propria bona perdidit, iniquum mihi non videtur tantum naturalia alimenta iis praestari neque civilia. Amiserunt ea tantum quae non ad eos pertinuerunt, nisi per ordinem. Hoc justum puto et aequum.

At vero ut propter universitatis delictum cives propria bona amittant, a natura penitus abhorret, nisi unus alterve civium ipse per se aliquid perpetraverit, et tunc non propter alienum — universitatis delictum, sed propter suum factum merito punitur.“

Puffendorffii verba *) de re nostra, licet ad materiam infra latius pertractandam pertineant, hoc loco etiam non plane erunt abs re;

*) *Natur- und Völker-Recht* p. 832. Col. 1. §. 29.

„Hier entsteht die Frage, ob eine Gemeinde Verbrechen halber gestraft werden könne, auch wenn die Leute nach verübten Verbrechen schon zwei- und dreimal abgestorben sind. Einige wollen dies bejahen, weil die ganze Gemeinde immer die alte und vorige bleibt, obgleich die sonderlichen Personen und Mitglieder derselben abgehen und verändert werden. Dazu schickt sich, was Plutarch *de sera numinis vindicta* sagt: bürgerliche Gesellschaft ist eine einzige und fest an einanderhängende Sache, die da wie ein Thier ihre Natur der Zeit und Neigung gemäs beibehält, dass man die Ursache dessen was sie thut oder gethan, beständig in ihr findet, so lange sie eine bürgerliche Gesellschaft bleibt. Darum muss sie auch an dem Schimpf ihrer Vorfahren Theil nehmen, gleich wie sie sich deren Ehre und Vorrechte anmaasst.“

Pariter celeberrimus Carpzovius^{w)} ita scribit:
 „Non solum universitati contra singulos quosque atque unum vel alterum, sed et singulis contra universitatem et communionem competit actio injuriarum — dummodo universitatis homines, omnibus de universitate solenniter convocatis, et animo deliberato commemoratoque consilio inju-

^{w)} P. IV. C. XLII. Def. X.

riam alicui irrogarunt. Nec obstat quod actio ad Palinodiam sit famosa, quia et contra universitatem famosa actio competit.“

Praeterea et Andr. Gail *) „non solum singulares personae, inquit, sed etiam tota universitas vel communitas aut civitas, ad delictum contra pacem publicam commissum, in bannum imperiale declarari et denunciari potest. Universitas enim secundum communem opinionem dolum committere et perinde delinquere potest.“ Perinde idem §. 7. ita continuat. „— — delictum nimirum ab universitate communicato consilio civibus vel multitudine, sonantibus campanis et tubis more majorum convocatis, commissum esse; eamque qualitatem juris ordine servato, postea luculenter probare debet — puta delictum universitatis in forma perpetratum esse, ut praeclare declarat Bald. d. consil. 283. quem ad hoc omnino vide, — — Oldrad singular. cons. 315. n. 3. sq. ubi dicit: aliud est deponere, homines universitatis fecisse, et aliud universitatem fecisse, quemadmodum etiam aliud est dicere oves et gregem ovium.“ Idem §. 27: „Porro si universitas vel civitas committit enormissimum delictum, puta rebellionis adversus princi-

*) de Pace Publ. L. II. C. 9. §. 1.

pem tunc non solum banniri et privilegiis et bonis privari sed etiam funditus everti et solv, damnata ejus memoria, aequari potest.“

§. 22.

Ceterum si quis contendit, in punienda universitate nonnunquam etiam singulos una poenas luere *qua privatos*, in errore versatur. Qui id sentit, non recte distinguit conditionem et universitatis qua talis et singulorum membrorum tam *qua talium*, quam *qua privatorum*. Oportet vero nos hoc loco rectum et verum effectum poenae universitati qua tali inflictae, quatenus scilicet etiam ad singula membra pertinere potest, luculentius demonstrare. Etenim etiam ad haec posteriora *qua talia*, nequaquam vero *qua privatos*, poenae effectus universitati inflictae pervenire et redundare solet, quod pro natura effectus externi poenarum non aliter fieri potest, quia scilicet poena ad universitatem pertinens, ob intimam ejus cum membris suis conjunctionem, ad haec non pertinere non potest, quod ex speciebus poenarum, quae universitati qua tali recte applicantur, infra Cap. III. denominandarum, apparebit. Nominem itaque, si placet, hoc genus puniendi, *secundarium*, e contrario *primario* quod universae consociationi infligitur, et proprie non est singulorum poena per se, sed

tantum effectus, uti jam diximus, poenae universitati inflictæ in membra redundans, quem in rei natura nonnumquam positum, interdum tantum in vulgari hominum opinione visum inficias ire nolim. Optime huic vero exemplum a corpore humano depromptum æquiparandum, cujus cruciati atque castigati dolores ad omnia membra redeunt, non qua res singulares, sed *qua membra*.

§. 23.

Duo restant momenta, quæ declarentur necessarium est: primum amplectitur quaestionem satis notam, num, qui duces fuerunt delicti, privatim severius sint puniendi, id quod saepius in praxi occurrit, e. g. qui rogarunt delictum, perpetrandumque universitati proposuerunt, aut commodum forsitan inde universitati sperandum acrius demonstrarunt.

Mea quidem sententia est haec. Si proficiscimur ab eo inde, quod propositum est, universitatem delinquere posse, et civitatem, ut in ceteris negotiis, ita, etiam in puniendo, ad solam universitatem qua talena recurrere debere non vero ad singulos qui in eadem versantur, *ob delictum ab universitate commissum* non acrius in duces saeviri potest, quum ad neminem qua privatum respici debeat. Licet vero Praxis ab hoc

praecepto saepius, ne dicam semper, recedat, et verum ex his praecipue personis detrimentum rei publicae imminere negari nequeat, oportet nos theoriam nostram cum ea, quam modo diximus, procedendi et puniendi norma conjungere. Salva enim sententia nostra, privatim duces delicti puniri posse et separatim, contendere possimus. Hac vero in singulari poena non est respiciendum ad delictum universitatis, sed ad singulare delictum, ducibusque solis imputandum, sc. communicatae cum caeteris damnosae voluntatis. Hoc enim est delictum proprium, quod recte illis imputatur, absque ullo respectu ad delictum corporationis, quia sc. duces illud tanquam privati committunt; cujus poena in quovis compendio Juris criminalis reperitur. Integro enim proverbio: Gedanken sind zollfrei, semper communicatio cogitationum damnosarum eum in finem facta, ut externae actiones iis respondeant, in delictum abit proprium, quod per se subsistit et punitur. Inde etiam hoc ducis alicujus delictum ad id, quod universitas qua talis committit, non pertinet, sed subsistit per se: quam ob rem nihil refert, utrum posterius consummatum sit necne, quia illud ad privatos pertinet.

§. 24.

Alterum quod jam persequimur momentum, aliam quaestionem hactenus pariter in dubium vocatam concernit, „quid sc. fiat circa eos, qui in capessendo consilio pernicioso non in voluntatem majoris partis — inde universitatis — inclinarent, sed contrariae parti foverint, aut qui plane abfuerint,“ — deinde: „an sit injustum, ut successores ex poena antecessoribus suis ob delictum inflictam, aliquid detrimenti capiant, immo ut universam poenam suscipiant, necne?“

Etenim cum universitatis voluntas consiliumve ex pluralitate suffragantium cognoscatur, sive in malam sive in bonam partem sit directum, quaeri potest, quidnam de illis statuendum sit, qui sese abstinuerint a majoris partis sententia nefaria, declararintque, sese nunquam criminis proposito appropinquaturos, ipsi vero, numero minores, victi sint?

Primum vero monendum est, vix talem casum cogitari aut inveniri posse, quo universitas delictum commiserit absque communi omnium consensu, atque ita, ut singuli aliqui manifeste declarassent, sese nunquam in crimen consensuros; plerumque potius, absque praevio suffragio voluntate cognita, crimen per factum ipsum demonstratum iri, necque necessarium esse, ut cum

crimine universitatis semper conjuncta sit cerimonia suffragii *γ*). De iis autem qui plurimum perniciosae voluntati, praevio suffragio cognitae obsteterint, recte praesumi potest, terram eos ac coelum moturos, ut crimen impediatur, aut sc. denunciatione apud judicem superiorem facta, (quod facillimum semper erit,) aut physico impedimento objecto: ceterum hoc cujuslibet membri officium est; quo neglecto, si pro conscio aut tacite consentiente habeatur, non queratur.

Interim vero, si ipsi non potuerint impedire ratione aliqua delictum, poenam tamen sequi universitatem delinquentem necessarium est. Qua igitur de re difficillima cum leges nostrae taceant nihil nobis reliquum est, quam ut eandem e ratione philosophiae contemplemur. Et secundum hanc quidem optimum mihi videtur et maxime rerum naturae conveniens, si praeceptum stabiliamus, ea membra, quae manifeste demonstrarint, nunquam ceterorum consilio sese consensisse, prohibita vero fuisse, illud aut indicere apud superiorem aut alio modo impedire, *eo ipso*

γ) Id quod jam monet *Andr. Gall. de Pace publ. L. II. C. 9. §. 23.*: *satis enim ipso facto universitatis voluntas declaratur, quia hominis voluntas magis factis quam verbis ostenditur. v. etiam Hugon. Grot. de I. Belli ac Pacis L. II. C. 21. n. 7. 8. ubi eadem fere verba leguntur.*

quoad hoc negotium ex universitate esse exclusa. Attamen probationem plenam, dissensus sui esse necessariam, vix est quod moneam. Universitas ipsa vero, ut iam diximus, a poena liberari non potest: quoad autem, ut supra statuimus, secundo haec poena ad singula membra redundare possit videri, animadvertendum est, existimationem eorum, qua singulorum, et honorem externum, qui plerumque, poena licet universitati inflicta, diminui solet, (et hic praecipuus est, de quo diximus, effectus poenae secundarius) iis membris, qui aperte consensum denegarunt, integrum remanere, nec generatim ullam sequelam perniciosam e poena universitatis in singulos redundare.

§. 25.

Alia est conditio eorum qui ab initio quidem dissentientes, a majore numero victi, nihil ad impediendum crimen attulerunt. Qui cum probris insontes praedicari non possint, sibi impudent, quod e poena universitati inflicta mali quid iis ipsis nascitur.

Porro ratio habenda est membrorum eo temporis momento absentium, quo perniciosum consilium ab universitate initum, illicitumque factum perpetratum est. Haec vero negotia sua suffragiumque aut mandarunt alicui collegarum, aut

mandare omiserunt. Si mandarunt, expresse, si non mandarunt, tacite demonstrant, sese in genere iis accessura, quae a ceteris et suscepta et peracta florent; at *delicta* perpetranda se directe probare voluisse praesumi nullatenus possunt.

§. 26.

Ultima quaestio est ea, „an aliquid poenae ad successores pervenire possit,“ quam frequenter adversarii nostri proponunt. Sin vero a justis praeceptis juris proficiscamur, intelligamusque, universitatem esse immortalem, et aetatis membrorum nunquam rationem haberi, — poenamque non infligi singulis, sed universitati delinquenti qua tali, consequens inde est:

1. ut omnino dici non queat de poena successorum, quippe quum illa non singulis, sed corpori infligatur;

2. ut, si quid damni secundarie ex poena universitati inflicta ortum ad singula membra redundet, e. g. ex privatione privilegiorum, idem damnum etiam successores subire debeant.

3. ut plane sit abs re et contra rerum naturam, si quis obtineat, poenas universitati infligendas tantum ad temporis spatium esse cohibendas eam ob causam, ne quid damni ad successores perveniat.

Denique etiam in legibus sanctum est, „ut
cujus quis participaverit, lucri, participet et
damni a).“

His praeceptis statutis inficias ire nolim, prin-
cipi competere Jus, depromendi hinc *causam mi-*
tigandi poenam, post temporis aliquid spatium
interjectum. Sed ad indolem poenae universitati
qua tali inflictæ, hoc nihil refert.

Art. II.

E Jure positivo.

§. 27.

Duo imprimis, quæ multum nos adjuvant, mo-
menta exhibeamur oportet; primum quod leges
positivæ nunquam discrimen fecerint inter obli-
gationes universitates ex delicto et civili negotio
descendentes quoad imputationem, deinde ut nus-
piam negarint universitatem delinquere posse,
statuerintque erga singulos poenam et non erga
universitatem esse exercendam. Itaque sufficiat,

a) *L. 55. D. pro socio.* Deinde *Lynker in respons. Decis. 1049.*
„Wann über den ganzen Rath Kalge geführt würde; ob
„denn schon die vorigen membra meist abgegangen wären,
„würde doch deshalb der ganze jetzige Rath zur Rede ge-
„setzt werden und nach Befinden Abtrag zu thun sich nicht
„entwähren können.“

si ex Jure positivo leges proponamus, quae universitati qua tali poenam irrogant.

§. 28.

Primo vero loco considerandum est Jus Romanum. Cujus cum legum ad nostram rem pertinentium tantus sit numerus, ut nimis spatii requireretur, si omnes verbotenus enumerare velimus, ita rem tractare liceat, ut quae gravioris ponderis sunt, exhibeamus, ceteras modo annotemus ubi inveniuntur, iis denique, quae obstare videntur, in notis occurramus.

§. 29.

L. 11. D. ad municipal.

*Imperator Titus Antoninus Lentulo Vero re-
„scripsit, magistratum officium esse individuum
„et periculum commune.“ (PAP. Quaest. 2.)*

Deinde

L. 13. eod.

L. 1. D. Magistr. conv.

L. 2. C. quo quisque ord.

L. 6. D. de admin. rer. ad civ. pert.

*„Magistratus reipublicae non solummodo do-
„lum sed et latam negligentiam et hoc amplius
„etiam diligentiam debent.“*

L. 3. C. qui morbo se excus.

L. 14. C. de Decurion.

L. 11. D. eodem.

L. 7. §. 1. D. qd. cujusc. univ. nom.

L. 1. pr. et §. 1. ssq. eod.

L. 4. D. de vi et vi arm.

L. 9. §. 1. D. qd. metus causa.

„„Sed si per vim tibi possessionem tradi-
 „„dero, dicit Pomponius, huic Edicto locum esse
 „„§. 1. Animadvertendum autem quod Praetor
 „„hoc Edicto generaliter et in rem loquitur, nec
 „„adjicit a quo gestum, et ideo sive singularis
 „„sit persona quae metum intulit vel populus vel
 „„curia vel collegium, vel corpus, huic
 „„Edicto locus erit.““ (VLP) b).

b) Hanc legem tam aperte nostram rem adjuvantem a multis esse infestam, quilibet sane miretur: videbatur enim prima specie ob stare L. 15. §. 1. D. de dolo malo, quae ita audit: „Sed an in municipes de dolo actio detur, dubitatur.“ Mirabilis sane contradictio, praesertim cum uterque locus ejusdem sit auctoris, et ex eodem libro deponitur (VLP. XI. ad Edict.). Patet autem ex connexu L. 9. §. 1. Ulpianum docere, Interdictum illud etiam erga universitatem locum habere. Cum vero Interdictum nulla alia sit causa nisi, quam factio vi adhibita aut subreptione clandestina — ergo semper delicto — constat etiam, erga universitatem actionem ex delicto dari, ergo etiam hanc delinquere posse. Omnis enim possessio pertinet ad jus obligationum: omnia vero Interdicta nituntur in obligationibus ex maleficiis, et possessionis tantum eatenus habetur ratio, quatenus est conditio sine qua Interdictum cogitari nequit.

Duplex mihi via videtur expediendi dissensum inter leges descriptas: 1) Ulpianus in L. 15. ipse sibi non satis conscius fuisse videtur; utitur enim verbo „dubitatur.“ Quid si acci-

Auth. Cod. de episc. et cler. e).

„Item nulla communitas vel persona pu-
 „blica — collectas vel exactiones — eccle-
 „siis vel aliis piis locis aut ecclesiasticis per-
 „sonis imponere aut invadere ecclesiastica bona
 „praesumant: quod si fecerint et requisiti ab
 „ecclesia vel imperio emendare contemserint, tri-
 „plum refundant et nihilominus bona imperiali
 „banno subiaceant, quod absque satisfactione de-

pianus, in L. 9. §. 1. sententiam suam distincte et cum de-
 claratione Ulpianum pronuntiasse] in L. 15. tantum genera-
 liter locutum esse? — Recte enim quis dicere potest — —
wird bezweifelt — et alias de eadem re — — *ich halte*
dafür: quis hic contradictionem sentiet in sententia ipsa?

2) Respicendum vero est etiam, quod tantum negetur *actio*
de dolo contra municipes. Hanc vero L. 11. §. 11. ej. Tit. dicit
 negatam esse a legibus contra personas dignitate et alia ratione
 insignes. Inde facile intelligendum, cur contra municipes non
 detur. Locò ejus verò dabatur *actio in factum*, cf. Stryki *act.*
S. t. Memb. X. §. 37. p. 244. Interdicto verò contra univer-
 sitatem ubique locum dari, manifeste apparet ex L. 4. *D. de*
vi et vi arm.; inde etiam deductionem nostram superiorem
 in Jure conditam esse. Ceterum actionem famosam etiã
 contra eandem dari v. ap. *Сарпзov. IV. Const. XLII.*
Def. X.

Klein legem 9. D. qd. met. in suam rem trahere studet,
 non verò interpretando, sed pervertendo: et nititur praecipue in
 interpretatione sua verborum: „*generaliter et in rem.*“ Sed
 melior quam Ulpiani ipsius horum verborum interpretatio in-
 veniri nequit: ceterum Ulpiano quis non plus tribuat quam
 Kleinio? —

e). I. 3:

„bita nullatenus rejiciatur.“ Vide ej. Tit. Auth.

„Item quaecunque communitas.

L. 60. de R. J.

L. 76. D. de Judiciis.

„— — respondi, non modo si unus aut al-
 „ter, sed et si omnes judices mutati essent, ta-
 „men et rem eandem et judicium idem, quod
 „antea fuit, remanere, propterea quod, ut Phi-
 „losophi dicerent, ex quibusdam particulis mi-
 „nimis consisteremus, hae quotidie ex corpore
 „nostro decederent, aliaeque extrinsecus in eorum
 „locum accederent d).

d) Hic opus est ut declaremus l. 2. D. quod quisque Juris in alterum statuerit, quae ita audit: „hoc Edicto dolus debet „Jus dicentis puniri: nam si Adessoris imprudentia Jus „aliter dictum sit, non debet hoc magistratui officere.“ De qua quis sibi persuadere possit, ob stare opinioni nostrae: „officere“ vero h. l. nihil aliud indicat, quam retorsionem responsi Judicis in ipsum simili in casu; hoc patet tam ex inscriptione Tituli, quam ex L. 1. ej.: „qui magistratum po- „testatemve habet, si quid in aliquem novi juris statuerit, „ipse quandoque adversario postulante eodem jure uti de- „bet.“ Hujus vero singularis instituti origo petenda est ex indole et natura administrandae justitiae inter Romanos, quippe qua praetoribus aliisque magistratibus prout singulis, neque collegialiter commissum erat *leges condere*, quae vim haberent intra tempus muneris sui: et ad hos solos magi- stratus hanc pertinere normam Juris, patet ex verbis: „si quid „in aliquem novi juris statuerit“: hoc minime erat de- licitum sed potius jus magistratus singuli: cujus tamen retor- sionem suscipere debuit ipse, ne sc. quid injusti ederet.

§. 50.

Paucas quidem Jus Canonicum, sed tamen unam magni ponderis exhibet legem in L. VI.

Contra legem quam supra statuimus sententiam circa conditionem successorum in universitate, dubium forsam moveret L. 126. §. 2. *D. de R. V.* „cum quis in alicujus locum cum successerit, non est aequum ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in ejus locum successit,“ quam Becker l. l. §. 33. recantat: attamen ex §. §. legis tam antecedentibus quam subsequentibus intelligere potes, hoc tantum dictum esse de contractu emtionis, et plane a materia nostra abesse. Quanta perversio legum!

Alia adhuc exstat lex quam pariter Becker l. l. exhibet, prima quidem specie nobis infesta: L. 23. *C. de Decurion.* „Provideri debet eorum novitati decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne praeteritis, debitis susceptorum onerentur, neve pro sarcina nominatoris aliena, ullam sustineant molestiam.“ Hoc vero locum primum id respici debet, directam esse legem illam ad obligationes ex aere alieno, quia sc. Decurionum ea erat conditio, ut non publicam haberent arcam, eandemque communem, sed omnes expensas ex propriis facultatibus solvere tenerentur, ergo etiam ex patrimonio privato obligarentur. Hinc munus eorum variis privilegiis gaudebat, atque singularis favor legis ad eos transibat qui sese muneri illi obtulerunt, e. g. ut legitimi fierent qui illegitime erant nati et cet. Inde legis illius ratio est declaranda et nequaquam nobis obstare censenda.

Quod denique ad illud Jur. Romani institutum pertinet, quo impuberibus singuli magistratus qua singuli obligabantur, nec minus heredes eorum illis tenebantur, idem ex favore legum in impuberes collato declarandum. Deinde vero si pluribus erat mandata tutela, per satisfactionem communiter usi eorum

Decr. L. III. T. XX. C. IV. „*Volentes propter
 „multorum insolentiam et abusum, poenae admi-
 „niculo adjuvare, adjicimus distinctius inhi-
 „bendo — ut nec collegium nec universitas, nec
 „aliqua etiam singularis persona, cujuscunque
 „sit dignitatis conditionis aut status, a praefatis
 „ecclesiis aut personis, pro personis ipsis aut
 „rebus praedictis talia exigat vel extorqueat,
 „per se vel per alium, suo nomine vel
 „etiam alieno, et aut eas ad hujusmodi per-
 „solvenda compellat. Qui vero contra fecerint,
 „si personae fuerint singulares, excommunica-
 „tionis, si autem collegium vel universitas civi-
 „tatis, castrum sive loci alterius cujuscunque ipsa
 „civitas, castrum vel locus, interdicti sententias
 „ipso facto incurrant; nec ab excommunicatione
 „hujusmodi absolutionem vel Interdicti relaxa-
 „tionem obtineant, donec exacta plenarie resti-
 „tuerint, et de transmissione satisfecerint com-
 „petenter e).“*

ita demandabatur ut solus obligaretur: quod cum inter ma-
 gistratus semper fieri soleret, singulus etiam tantum conveniri
 potuit. Alia hic interpretatio fieri nequit, quia obstaret
 L. 7. §. 2. D. qd. cuj. un. n. „quod universitas debet singuli
 non debent.“

c) Repugnare videtur C. 6. de *sententia excommunicat.*: „in
 „universitatem vel collegium proferre excommunicationis
 „sententiam penitus prohibemus, volentes animarum peri-

§. 31.

Transimus vero nunc ad eas leges, quæ in Jure patrio, Germanico inquam, exstant. Secundum aetatem primum locum tenet:

Nota speculi saxon. ad Art. 86. L. III. (Edit. Lips. 1595.)

„*Hic nota, quod ad hoc, ut commune, uni-*
 „*versitas, villa vel civitas dicatur delinquere, re-*
 „*quiritur quod convenient majores vel consiliarii,*
 „*quocunque nomine nuncupentur, s. jurati, s. con-*
 „*sules, s. praefecti, et habita deliberatione cou-*

„*sulum vitare, quod extende sequi possit, cum nonnun-*
 „*quam contingit innocios hujusmodi sententia irretiri, sed*
 „*in illos duntaxat de collegio vel universitate, quos cul-*
 „*pabiles esse constiterit promulgatur.*“

Licet prima species haec nobis lex obstare videatur tamen accuratior collustratione adhibita invenietur, eam non esse nobis contrariam, sed potius interpretatoriam legis ejus, quam supra adduximus. Est enim poena excommunicationis, secundum fidem catholicam, tam extraordinaria et aberha, ut exceptionem ab eadem Jus Canon. respectu universitatis faciendam censeret, ne tot animae una in perniciem ruerent, cf. Eichhorn *teutsche Staats- und Rechtsgeschichte. T. II. §. 323. n. 6.* „*die Etschränkungen (nemlich der Interdicte) bestanden hauptsächlich darin, das Klöster und Communen von den Interdicten durch Privilegien ausgenommen — würden, vid. Plank Gesch. d. christl. kirchl. gesellschaftl. Verf. Th. 3. p. 517, u. 4. Abth. 2. p. 290 ff.* Deinde vero executores Jur. Can. saepe ab hac regula recessisse historia docet: et denique exceptio ipsa ab hac poenae specie demonstrat, ceteris poenis, etiam in universitates exercendis locum dari.

„cludatur in quo major pars communitatis con-
 „cordet, et quod hoc fiat ab iis collegialiter et ut
 „a corpore, non tanquam a singularibus ad id
 „congregatis.“

Auctoritatem legis (certe suo tempore) forsán vindicat iudicium scabinorum Magdeburgensium, in appendice ad citatam editionem speculi Saxon. (*Distinct XXII. C. 1.*) quo pariter contenditur, universitatem delinquere posse: „Ob man ein
 „Stadt oder ein ganze Gemein, beide in ein aus-
 „wendig Gericht, das weltlich wer, ob die Bür-
 „ger, oder die ganze Gemein, jeglicher beson-
 „ders gestehen sol, und wer dis sol verantwor-
 „ten und wie. Hierauf sprechen wir für Recht,
 „beschuldigt man ein Stadt gemeiniglich, arm
 „und reich in einem auswendigen Gericht oäer
 „inwendigen, vor dem Landvogt, Schultheissen
 „oder Burggraffen, so mag der Stadt Bürger-
 „meister ein oder zween zu im nehmen aus dem
 „Raht — und sol für die Gemein der Bürger
 „antworten auff Gewinn und auff Verlust der
 „Sachen, da man sie un beschuldiget.“

Exstat vero locus in lege imperiali fundamen-
 tali Germanorum cui plurimam quilibet auctori-
 tatem tribuet, in *Aurea sc. Bulla. Cap. XV. §. 2.:*

„Personam singularem, quae de cetero con-
 „tra tenorem praesentis constitutionis nostrae

„ac legis antiquae super hoc edictae, confoede-
 „rationis, colligationis, conspirationis et pacta
 „hujusmodi inire praesumserint, ultra poenam
 „ejusdem legis notam infamiam et poenam de-
 „cem librarum auri: „„civitatem vero vel uni-
 „„versitatem in hanc legem nostram similiter
 „„„committentem, centum librarum auri, nec
 „„„non amissionis et privationis libertatum et
 „„„privilegiorum imperialium poenas incurrere
 „„„decernimus eo ipso, medietate poenae hujus-
 „„modi pecuniariae Fisco imperiali, reliqua vero
 „„„domino districtus, in cujus praejudicium facta
 „„„fuerint, applicanda f).““

Notandum praeterea in qualibet fere lege im-
 periali, si contravenientibus poena indicitur, inter
 ceteros status imperii etiam „urbes“ recitari,
 poenaeque iisdem qua talibus comminata coer-
 ceri a delicto: sic. e. g. in Instrumento impe-
 riali, quod appellatur *Landfrieden*, *Tit. II.* ita
 audit:

„Wir befehlen auch allen und jeden Chur-
 „fürsten, Fürsten etc. und Städten — — bey
 „den Pflichten, Eyden und Gehorsam, die sie
 „uns und dem heil. Reich gethan haben und zu

f) cf. Schmaufs *Corp. Jur. Germ. Publ. Acad. Francfr.*
et Lips. 1722. p. 55.

„thun schuldig sind, und darzu einer Pön, nemlich zweitausend Mark feines Goldes — — und darzu bey Verlierung aller und jeglicher Freiheit und Recht — dasß sie solchen Frieden mit Ernst und treuen Fleiß halten etc. Idem fere in Tit. XXIX. ead. §. 4.

Deinde ex Tit. XIV. ej. Instrumento tam manifeste apparet, inter poenam universitatis et singulorum ejusdem membrorum, prout communio qua talis aut singuli qua tales peccaverint, discrimen esse factum, ut dubium nullum sit relictum;

„Und ob jemand von Churfürsten — — oder — — Städte oder ander, wes Würden oder Wesens, die wäre geistlich oder weltlich, die Ihren wider diesen Landfrieden angegriffen, heimlich hinweg geführet — — in was Wege dies geschehe, und die Thäter nicht offenbar, auch der Kläger sie des nicht beweisen sollte oder könnte, und dieselbige doch aus redlichen, erheblichen, genugsamen Anzeigungen in Verdacht stünden, oder davon ein offentlich Gerücht und Geschrey wäre — — wollen wir, damit in solchen dergleichen Fällen der Beschuldiger zu seiner Klag und der Beschuldigte zu Ausführung seiner Schuld oder Un-

„schuld desto förderlicher und mit wenigern
 „Kosten kommen möge, dafs der Beschuldigte gut
 „Fug und Macht haben soll, der also der That,
 „dass Zuschiebens und Zusehens verdacht, vor sei-
 „nem, des Verdachten, ordentlichen Richter
 „oder aber vor uns — — Entschuldigung mit
 „dem Eid zu thun, für zu nehmen, — — Und —
 „der Richter — — soll Ladung erkennen — und
 „fürheischen — sich — selbst persönlich mit
 „dem Eid zu purgiren. — — — „Würde aber
 „„ein Commun, sie wäre geistlich oder
 „„weltlich dermassen fürgenommen,
 „„soll der zweite Theil des Raths derselben Com-
 „„mun vor den Commissarien so derhalb verord-
 „„net werden sollen, persönlich zu schwören
 „„schuldig seyn; — — Wo aber etliche der-
 „selben Stadt oder Gemein verwandte,
 „„als besondere Personen — also ver-
 „„dacht würden, soll es derhalben wie mit
 „„andern sonderen Personen, obgemeld-
 „„ter Maassen gehalten werden. — — — Wann
 „„der Beschuldigte in Recht der That überwun-
 „„den wird, alsdann mag und soll gegen den
 „„überwundenen als der That schuldigen, mit
 „„der Straff — procedirt und gehandelt
 „„werden.““

§. 32.

Liceat adhuc e Jure Saxon. El. Mandatum exhibere, quo sancitur, ut universitas, si qualis peccaverit, puniatur cum amissione jurium et privilegiorum. Est vero illud d. d. 26. Sept. 1773.

Art. III.

Ex praxi et usu fori.

§. 33.

Si postremo loco ad praxin recurramus, hanc non quidem semper nobiscum consentientem, sed tamen plerumque, invenimus. Quod tamen nemo miretur; theoria enim ipsa non satis firmata non fieri non potuit, ut praxis diversa esset. In historia vero Germaniae tot sese offerunt exempla poenarum, corporibus communionibusque qua talibus ob delicta ab ipsis commissa, inflictarum, ut tempus enumerandi prius quam copia deficeret. Pauca itaque exempla sufficiat adduxisse, ut etiam hac ex parte sententia nostra satis firmata appareat.

§. 34.

Andr. Gail ^{g)} exhibet exemplum ex causa Minden contra Minden, et sententiam Banni ita describit:

^{g)} L. 2. laudato Lib. II. C. 9. §. 10. p. 118. Ed. Col. Agripp. 1661. 4. ubi citat *Auth. Dec. Cam. verb. Bann.*

„In den Landfriedbrüchigen Sachen N. Klä-
 „ger, gegen Bürgermeister, Rath und ganze
 „Gemeinde in der Stadt O. Beklagten: Nach-
 „dem gedachte Beklagten, aus den von denen
 „Ursachen dem Landfrieden zu wider gehan-
 „delt, derhalben denunciiren und erklären wir
 „dieselbe, Bürgermeister Rath und ganze Ge-
 „meinde, als offenbare Echter, in der kaiserl.
 „Majestät und des h. Reichs Acht: setzen sie
 „aus den Frieden in den Unfrieden und erlau-
 „ben ihre Leib, Haab und Güter obgedachtem
 „Kläger und' allermenniglich.“

Idem paullo infra §. 19. „Et ita in Camera
 „observatur, quod ^{h)} poena banni contra uni-
 „versitatem in pecuniam convertatur ⁱ⁾.“

Allegat porro §. 28. Bartium enarrantem
 „imperatorem Henricum suo tempore tulisse
 „sententiam definitivam adversus Brixianenses,
 „ob rebellionem, qua condemnavit civitatem ad
 „aratum, licet misericordia motus postea eam
 „poenam relaxaverit, et Bonifacium Pontificem,
 „ob quorundam Templorum delictum, totum

h) Myns. cent. 2. b. 30 Scharff. 2.

i) Cons. 17. n. 15. in fin. Cothm. resp. 52. n. 340. sq. Sichard
 cons. 1. n. 35. inter cons. contract. Tyraquell. de poenis:
 causam 46. per totum textum.

„*Collegium destruxisse. Bald. (Tit de pace Ce-*
 „*restant. in verbo „damno“ n. 2.) dicit civitatem*
 „*ad aratrum superioris auctoritate damnatam,*
 „*vel ab imperatore perpetuo bannitam mortuam*
 „*censeri.“ Idem (d. cons. 367. n. 6. et in Auth.*
habita n. 7. c. ne fil. pro patre) affirmat¹ „solius
 „*principis esse civitatem aratro subicere, et*
 „*multa in Germania exempla exstare.“*

Exemplum elegantissimum etiam exhibet *I. I. Moser* ^{k)}; delictum sc. a duabus communitatibus commissum; in quod sententia imperialis lata est ut sequitur:

„*Auf eingebrachte Fürstlich Hohenzollern-*
 „*Hechingische Fiscalische Anklage und darauf*
 „*geführte Defension, in Sachen der peinlich an-*
 „*geklagten Gemeine zu Grosselsingen wird so-*
 „*viel die delicta Universitatis betrifft, von kai-*
 „*serlicher Majestät hiermit für Recht erkannt,*
 „*das zuörderst ermeldete Gemeine zu Grössel-*
 „*singen; wegen der überhaupt und in Anse-*
 „*hung des Jagens; Pürschens und Schiessens*
 „*zu Schulden gebrachten groben Verbrechen,*
 „*offenbaren Missbrauchs der Waffen; uner-*
 „*hörter Widerspenstigkeit und äussersten Unge-*

k) *In: alten und neuen Reichshofrathscnclusis P. II. p. 207. sq. Fraefrt. 1744.*

„horsams und respective öffentlichen Tumulte l)
 „und damit begleiteter Mord- und Todtschläge,
 „hiermit per modum einer wohlverdienten Strafe,
 „aller erlangten Jagd- Pürsch- und Waidwerks-
 „gerechtigkeit, wie sie sich derselben angemaast,
 „oder zu behaupten gesucht, von nun an und zu
 „ewigen Zeiten m) gänzlich verlustig zu erklären
 „seye, gestalten sie auch hiermit dessen allen
 „verlustig erklärt, und ihnen zu dem Ende die
 „Führung und der Gebrauch einiger Gewehre
 „oder Waffen — — schlechterdings — verbo-
 „ten, und hiernächst auch alle — grosselfinger
 „Gemeinleute insgemein und ohne Unterschied
 „kraft dieses condemnirt werden, der kaiserli-
 „chen Commission oder Subdelegation auch ih-
 „rem Landesfürsten auf den Knien vor dem
 „Rathhause öffentlich Abbitte zu thun etc. n).

l) En exemplorum multitudo delictorum ab universitate qua tali committendorum!

m) Ergo non tantum ad tempus aliquod!

n) Quis crederet contra sententiam hanc tam aperte rem nostram adjuvantem et auctoritate imperiali — ut ita dicam — tuentem, dubium moveri posse?! Et tamen hoc tentavit Malblanc in l. s. l. §. 7. sed audiatur ipse: „quantum vero Communitates Gross-
 „elfingen et Hänsen in perpetuum jure suo liberae venationis
 „sunt privatae, in tantam dicta sententia non tam habenda
 „est pro actu justitiae propriae talis, sed potius pro actu sum-
 „mi imperii, quem hic Judicium Imperiale anticam exer-
 „cuit.“ (Sed cur?) „Inter omnes enim constat, non so-

Anno 1694. I. Cam. Imp. universitatem poena pecuniaria castigavit teste Wiese in Handb. des — Kirchen-Recht, T. III. p. 141. „Dieser Fall kam 1694 zu Augsburg zur Sprache, wo nach dem westphälischen Frieden ein völlig gleicher gemischter Zustand ist, und wo man einen Bürger, Lorenz Sebold, deshalb der bürgerl. Rechte verlustig erklären wollte, weil er eine neuverfasste Confession aus dem Grunde weil sie ihm zu hoch sey, nicht annehmen wollte, ungeachtet er die augsburgische Confession unterschrieben einreichte. Dagegen verfuhr das Reichskammergericht — vollkommen gerecht, mit einem Pönal-Mandat von 10 Mark löthigen Goldes *gegen den Magistrat.*“ — v. etiam I. H. Böhmeri Jus Eccles. Protest. L. 1. T. 1. §. 61.

§. 35.

Ex usu fori recentiori adducamus praeterea:

1. Respons. Ictor. Lips. d. a. 1717. m. Mart. ap. Leyser. Spec. 559. m. 7.

„*lum singula jura sed et integras universitates a potestate*
 „*legislatoria et summo imperio posse extingui et dissolvi,*
 „*cum in salutem publicam graviter impingunt, in perniciem*
 „*reipublicae tendunt, securitatem publicam turbant.*“
 Sin vero, affirmante Malblancio, hoc inter omnes constat, ego non video cur dissertationem suam scripserit! —

2. Resp. Ictor. Helmstadiens. eod. Spec. 533.
p. 20. e m. Novembr. 1728.
3. R. Ict. Lips. ap. Hommel. Obs. 601. §. 9.
4. Reichshofrathsschluss. ap. Leyser. Sp. 533.
p. 31.
5. Lynkeri Resp. 185. qu. 55.

Mittam ingentem ceterorum exemplorum copiam.

CAP. III.

De variis poenarum speciebus universitati quæ tali idonee applicandarum, nec non de justo earum exercendarum modo.

§. 36.

Quemadmodum multum studii atque operæ in qualibet poena singulo alicui, et idonee adhibenda, et recte exercenda ponendum est, ut scilicet singuli cujuslibet naturæ et indoli conveniat atque ad finem propositum rem perducatur, ita etiam præcipue in poena personæ morali infligenda accurate et distincte est observandum, quænam poenarum species singulis delictis ita conveniat, ut recte poena personæ morali appellari queat, hoc est talis, quæ solam universitatem quæ talem attingat, neque singulos cohibeat: quatenus enim ad hos quæ membra universitatis interdum ali-

quid secundarie redundat, pendet ab indole et natura poenae.

Primarium vero principium, ad quod in hujus generis poenis exercendis nunquam non respici debet, illud mihi visum est, ut poena sit talis, quae 1. conveniat delicto ex objectiva ratione spectato et propria ejus natura, i. e. ut poena semper moderetur atque regatur prout majus minusve damnum atque periculum reipublicae inde immineat — quod monere, quamvis vix necesse erat, attamen ad rem perfectius enucleandam pertinere videbatur; 2. ut finem suum distincte et accurate impleat, ad quod referendum est; a. ut quoad externos eum effectum habeat, quo intelligant, universitatem esse punitam qua talem, non singulos, propterea quod eadem qua talis deliquerit: b. ut vero etiam universitas qua talis sese punitam sentiat.

Poenas, quas universitati impingere licet, dividam in *capitales* et *non capitales*. Sub priorum nomine comprehendo dissolutionem universitatis totalem, quae in universitate est loco mortis singulorum juris subjectorum. Harum tantum unam speciem esse posse, nemo non sentit, quae tamen gravari potest, prout plus minusve dedecoris eandem comitetur. *Non-capitalium* plures esse species possunt; multa tamen poena-

rum, quas privatis infligere licet, genera nostra in materia exulere, quilibet absque longa deliberatione inveniet ipse.

Poenas capitales delicta capitalia tantum sequi fas est, quae tamen recensere nostrum non est, cum in quolibet compendio inveniantur. Modificari haec poena potest prout majus minusve infamiae dissolutioni addatur. Sic, ut exemplum afferam, simplex poena capitalis universitatis crimen capitale committentis, consistit in dissolutione ejusdem, sublatis ejusdem privilegiis juribusve, quibus ut universitas fruebatur: majus vero dedecus foret, si funditus tollerentur urbis aedificia et aratrum induceretur ^o).

Locum teneat hic Cremani tententia ^p); „*Tandem si communi civitatis consensu sit peccatum, ipsa universitas plectenda est, non ita tamen, ut de singulis poena ordine repetatur, sed par- tius suis legibus, Magistratibus, privilegiis populus spoliandus sit; moenibus oppidum est nudandum vel etiam universa civitas omnia*

^o) cf. Hottomanni Quaest. 42. Jacob Gothofred. ad Cod. Theodos. Tit. ad L. Corp. de siccar. C. 6. Tiraquell. de poenar. temperam. C. 49.

^p) Aloys. Cremani, Senensis, in Archie Gymnasio Tycinensi de J. Celm. L. H. Tycini 1779. L. 1. P. 1. C. VL §. 59. (p. 74.)

„delenda et aratro recidenda, cujus rei exempla occurrunt in historiis.“

§. 37.

Poenarum vero non capitalium plures gradus esse possunt, pro diversitate et magnitudine delictorum; harum vero species hoc ordine statui velim:

1. acris reprehensio.

2. mulctae ex patrimonio universitatis communi pendendae.

3. praepositio inspectionis singularis magistratus vel aequalis ordinis vel per se altioris dignitatis.

4. poenae honorem afficientes in genere, plures enim ejusmodi poenarum species jam sub aliquo priorum, quae nominavimus, exemplorum comprehensae esse possunt.

5. permutatio essentialis circa finem ipsum universitatis.

6. privatio jurium privilegiorumque majorum minorumve, prout delictum gravius est minusve, et quidem eorum, quae aut commodi aut honoris causa in universitatem sunt collata. Huc etiam referri possunt omnia insignia honoris externi.

Quas sub n. 1 et 2 comprehendimus, lenioris sunt generis poenae. Attamen, quod ad mulctas attinet, monendum est, eas superare non

oportere redditus annuos universitatis: Poena sub Nr. 5. ita intelligenda ut de honore ex fine perpetuo ipso universitati accrescente aliquid detrectetur.

Haec ut adjiceremus necessarium esse putavimus. Cetera vero diffusius explanare nostrum non est, quia nimis a fine proposito aberrantes, uberiores potius delictorum universitatis tractationem, quam dissertatiunculam exhiberemus.